

DE PROVIDENTIA DEI.

SUMMA LITTERÆ.

Tractatum de prædestinatione aggredientes, a providentia in communi, cujus pars quædam prædestinatio est, incipimus, de qua etiam egit S. Thomas in hac quæstione xxii, antequam in sequenti agat de prædestinatione.

Circa providentiam ergo in communi quatuor considerat S. Thomas. Primo, subjectum ejus, an scilicet Deo conveniat. Secundo, objectum ejus an circa omnia versetur. Tertio et quarto, modum ejus, scilicet modum ex parte Dei, et modum ex parte creaturæ. Ex parte Dei, an immediate provideat omnibus per se ipsum. Ex parte creaturæ, an imponat eis necessitatem propter suam infallibilitatem.

In articulo ergo primo ostendit Deo convenire providentiam, quia convenit ei ordinare et dirigere creaturas in finem per aliqua media, eo quod per intellectum agit in illas: ordo autem et dispositio in mente gubernatoris de rebus sibi subjectis pertinet ad providentiam, quæ est pars providentiæ, quia hoc est providere rebus, scilicet dirigere illas ad aliquem finem per convenientia media.

In articulo secundo ostendit objectum circa quod versatur providentia, esse omnem creaturam, nec aliquid subtrahi ab ejus gubernatione, ut aliqui dixerunt. Tantum enim se extendit ejus providentia, quantum ejus causalitas; quia omnia causat per intellectum, ex intentione et fine operando, et non fortuito, nec præter suam intentionem: id enim esset magna imperfectio: causalitas autem Dei ad omnia se extendit, quia omne esse creatum, participatio ejus est: ergo ad omnia se extendit ejus providentia.

In articulo tertio explicat modum istius providentiæ, ut tenet se ex parte Dei, scilicet an immediate provideat omnibus. Et dicit quod in providentia sunt duo, scilicet gubernatio quantum ad ordinem, et dispositionem, quæ est in mente gubernatoris et executio, qua hunc ordinem in rebus exequitur. Et primo modo providentia est immediate in Deo de omnibus, quia per suum intellectum omnia attingit, et disponit. Quoad secundum vero exequitur multa per causas secundas, quas constituit causas aliorum effectuum, non propter defectum suæ virtutis, sed ex abundantia suæ bonitatis, quia communicat ei hoc ipsum, quod est causare in alia.

In articulo quarto ostendit modum providentiæ ut tenet se ex parte creaturarum, scilicet quod non omnibus imponatur necessitas, sed etiam contingentia, et libertas relinquatur non obstante infallibilitate ejus ex parte Dei, eo quod ista infallibilitas nascitur ex universalissimo modo operandi Dei, a quo nihil potest subduci, sed providet, et causat omnia; et ita dat etiam ipsam contingentiam, et libertatem: inde non vult solum

quod res fiat absolute, sed quod fiat tali modo, v. g. libere, vel contingenter, quia etiam ipsummodum Deus causat, et ita est infallibile, quod res fiat tali modo, scilicet contingenter ex parte sua, et infallibiliter ex parte Dei.

QUÆSTIO XXIII.

DE PRÆDESTINATIONE.

SUMMA LITTERÆ.

Tractat D. Thomas de prædestinatione. Primo, absolute in se. Secundo, comparative ad alia. Absolute in se, quoad an est et quid est: comparative, tum in ordine ad suum oppositum, quod est reprobatio, tum in ordine ad suas causas, tum in ordine ad suos effectus.

In primo ergo articulo ostendit id quod pertinet ad quæstionem an est, dari in Deo prædestinationem, quia sicut pertinet ad providentiam communem Dei ordinare res in suos fines proportionatos et debitos, ita ordinare hominem in aliquem finem excedentem naturam ejus; scilicet in vitam æternam ut efficaciter consequendam. Unde ordo transmittendi creaturam rationalem in talem finem efficaciter, petit specialiores Dei providentiam, et hæc est prædestinatio.

In articulo secundo ostendit quid sit prædestinatio, scilicet quod ex parte Dei est illa activa transmissio in vitam æternam, quæ est in mente divina. Ex parte autem prædestinati non ponit aliquid ipsa providentia (prout est in mente prædestinantis, tamquam actus immanens) sed ponit aliquid executio per modum causæ efficientis quatenus relinquit aliquos effectus in prædestinato.

In articulo tertio incipit consideratio prædestinationis comparativa. Et primo, comparat illam ad suum oppositum quod est reprobatio, inquirens an Deus aliquem reprobet. Et respondet affirmative, quia pertinet ad providentiam summam Dei etiam permittere aliquos effectus sine reparatione, eisque æternam pœnam constituere, sicut e contra ad æternum præmium aliquos destinare. Et sic reprobatio est pars providentiæ, sicut prædestinatio.

In articulo quarto incipit comparare prædestinationem ad suas causas. Et potest causa prædestinationis attendi vel ex parte Dei per electionem: ad gloriam, ex qua oritur quod electis provideat de mediis convenientibus: vel ex parte nostra per aliqua merita vel opera, quibus mereamur prædestinari. In hoc ergo articulo agit de electione Dei ad gloriam, et ostendit quod illa præsupponitur ad prædestinationem: est enim prædestinatio mediolorum præparatio et dispositio ad consequendam gloriam. Hæc autem supponit finem esse volitum his quibus talia media præparantur. Et quia hic finis non est volitus omnibus efficaciter, sed aliquibus præ aliis, ideo non solum supponitur delectio ad gloriam, sed etiam electio.

In articulo quinto comparat prædestinationem ad aliam causam, quæ tenet se ex parte nostri, et inquirit an talis causa detur. Et respondet quod ad omnes effectus prædestinationis, etiam ut includunt primam gratiam et vocationem, nulla potest dari causa ex parte nostri, neque ex aliquibus meritis in alia vita factis, antequam animæ infunderentur corpori, ut putavit Origines, neque ex meritis in hac vita factis, aut ex aliquo bono initio meritorum, ut Pelagiani et Semipelagiani putaverunt, neque ex bono usu nostri arbitrii futuro et præviso, ut alii posuerunt, distinguentes inter id quod est ex gratia, et id quod ex libero arbitrio, quia omnia ista tenent se ex parte naturæ, et non possunt esse ratio vel causa gratiæ datæ per prædestinationem. Et sic tota collectio prædestinationis solum habet pro causa meram Dei liberalitatem.

In articulo sexto incipit comparare prædestinationem ad effectus suos. Primo, quantum ad certitudinem ejus in prædestinatis. Secundo, quantum ad numerum prædestinatorum. Tertio, quantum ad media et instrumenta quibus adjuvatur. Et in hoc articulo sexto ostendit esse certam salutem prædestinati ex infallibilitate divinæ providentiæ, licet libertatem, et contingentiam ex parte causarum inferiorum non auferat, sed promoveat.

In articulo septimo inquirit de numero prædestinatorum, et docet duo. Primum, quod apud Deum iste numerus est certus et definitus ex quadam principali prædefinitione, quia quodlibet individuum prædestinatum principaliter, et per se Deus præordinat. Secundum, quod definire hunc numerum an tot homines prædestinentur, quot Angeli ceciderunt, vel quot remanserunt, vel quot creati sunt, soli Deo relinquendum est.

In articulo octavo inquirit de orationibus quibus juvatur prædestinatio. Et dicit prædestinationem, ut tenet se ex parte Dei, non posse precibus sanctorum fieri. Sed tamen ex parte effectuum potest unus effectus ex alio juvari, et sic propter preces sanctorum potest alicui dari gratia, quæ est effectus prædestinationis.

QUÆSTIO XXIV.

DE LIBRO VITÆ.

SUMMA LITTERÆ.

Liber vitæ metaphora est, qua Scriptura declarat specialem designationem prædestinatorum ad vitam æternam, sicut in libro apud homines conscribuntur illi, qui ad aliquod munus destinantur, vel illa de quibus specialis ratio habetur. Et ideo tria D. Thomas tractat. Primo, quid sit iste liber vitæ: secundo, de quo sit, an solum pro gloria: tertio, an aliquis de illo deleatur.

Circa primum docet articulo primo, librum vitæ esse ipsam notitiam Dei, qua firmiter retinet aliquos electos et prædestinatos ad vitam æternam, eo

quod liber apud nos habetur, tum ad succurrendum memoriæ, tum ad designandum eos qui ad aliquid eliguntur.

Circa secundum docet in articulo secundo librum vitæ solum esse pro vita gloriæ, eo quod prædestinatus eligitur ad vivendum vita æterna tamquam ad finem. Et licet ei detur gratia tamquam medium; tamen proprie non eligitur aliquis ad medium, sed ad finem, sicut miles non eligitur ut armetur, sed ut pugnet et consequatur victoriam.

Circa tertium docet articulo tertio quod in libro vitæ quidam sunt simpliciter scripti, id est, in paginis gloriæ ex prædestinatione Dei, et tales nunquam delentur de libro vitæ. Quidam sunt scripti solum secundum quid, id est, solum in paginis gratiæ pro præsentis tempore, et tales possunt deleri de libro vitæ, quia solum ad tempus datur illis gratia, quæ quidem est dignitas et jus ad vitam æternam, sed cadunt ab isto jure.

DISPUTATIO VII.

DE ESSENTIA PRÆDESTINATIONIS.

ARTICULUS I.

An detur in Deo prædestinatio, quod sit ejus objectum, et definitio?

I. Prædestinationis vox in Scriptura, patribus, et scholasticis valde celebris, ex duplici significatione designationis derivatur, quam D. Thomas indicat quæst. vi de verit. art. i. Nam destinatio duo significat. Primo, designationem internam per aliquod statutum, et decretum aliquid faciendi. Secundo, designationem externam, quæ est effectus prioris, quatenus aliquis mittitur ad exequendum id quod decretatum et statutum est. Primo modo sumitur destinatio in Scriptura, II Macchab. vi, ubi dicitur de Eleazaro, quod: *Destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem*; et II Corinth. ix: *Unusquisque prout destinavit in corde suo*, id est, prout statuit. Secundo modo dicitur, I Macchab. i: *Destinaverunt aliqui de populo et abierunt ad regem*: et I Corinth. iv: *Puto quod Deus nos Apostolos ostendit tamquam morti destinatos*, id est,

ad mortem missos. Et sic D. Thomas q. vi de verit. art. i, probat prædestinationem importare directionem ad finem, quia quando aliquis destinatur tamquam nuntius, dirigitur ad aliquid faciendum.

Quia ergo destinatio sumpta pro missione exteriori ad aliquid faciendum oritur ex destinatione sumpta pro decreto præordinante, et statuente, sicut executio oritur ab ordinatione; ideo frequentius prædestinatio sumitur pro ipso decreto præordinante seu prædefiniente sicut Hieronymus supra, cap. i ad Ephes. ad illa verba: *Qui prædestinavit nos*, etc. dicit quod: « Prædestinare est prædefinire: » et Augustinus, lib. vi: « Hypognosticon, inquit, id quod bonum est præscientia prædestinat, id est, prius quam sit in re præordinat. » Et libro de prædestinatione sanctorum, cap. x: « Prædestinatione Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus, præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata. » Et de bono perseverantiæ, cap. xviii: « Prædestinasse, est hoc præscisse quod fuerat ipse facturus. » Quem sensum sequitur et explicat S. Prosper in responsione ad capitula Gallorum, cap. xv, et ad objectiones Vincentianas, objectione x, et sequentibus. Hæc autem acceptio prædestinationis est valde generalis pro